QUAEDAM DE MENSTRUATIONE PHYSIOLOGICA ATQUE PATHOLOGICA...

Antonio Monis

18

QUAEDAM
DE
MENSTRUATIONE
PHYSIOLOGICA ATQUE PATHOLOGICA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

ADIPISCENDAM

PROPONIT

MONIS ANTONIUS

VERONENSIS.

Patavii

TYPIS SEMINARII

1840.

Venezia

Fantin

424

A'

MIEI GENITORI

CHE

TVTTI I MODI

DI TENEREZZA, DI CONSIGLIO, DI PROVVIDENZA

IN OGNI TEMPO

LARGAMENTE MI PRODIGARONO

IN SEGNO

DI GRATO E PROFONDO AFFETTO

QVESTA PRIMA FATICA

CON AMORÒSA EFFVSIONE D'ANIMO

NEL GIORNO DI MIA CORONA

CONSACRO.

Optatus tandem pervenit dies, quo academicae leges alicujus medici argumenti mihi jubent expositionem. Inter multa hoc pro mea elegi dissertatiuncula, quod etsi uti quodcumque aliud meas superet vires, tamen sat mihi erit, auditores humanissimi, si quod in medium proferre conor, animo benevolo suscipietis.

Fluxus menstruus καταμήνια (1) est periodica in mulieribus jam pubescentibus sanguinis evacuatio, quae quolibet mense ex utero manare solet, dummodo nec uterum ferant, neque infanti ubere praebeant, etsi mulieres non desint, quae gestationis aut lactationis tempore eodem fluxu minime careant.

Humani tamen generis tantummodo id proprium est; etenim si Aristoteles parem tribuit quadrupedibus purgationem, superiores physiologi in eo conveniunt, quod sub venerea tentigine sanguis revera ex eorum pudendis exstillet, quin menstruus fluxus dici possit. In mulieribus vero omnium regionum menstrua observantur quolibet mense, sive intra quatuor aut quinque hebdomadas; nec feminae brasilienses menstruo carent fluxu, quemadmodum a nonnullis prolatum fuit. Regularis menstruatio perfectae organisationis et valetudinis effectus omni jure est censenda; tamen C. Linnaeus nonnullos refert casus mulierum, quae semper bona gavisae fuere valetudine, etsi nunquam a menstruis salutarentur, quaeque semper steriles

(1) A κατά circa, et μήν mensis.

424

vixere; sed adnotandam, mensium defectum causam semper non esse sterilitatis, quod plures mulieres, quae toto vitae curriculo, vel saltem per longam annorum seriem a menstruis non visitatae, nihilominus pepererunt (1).

Et ra quidem vera nullam dari posse regulam de hoc certam, sequentes probant casus. Haller consanguineae suae, quae postquam primitus peperisset, non amplius nec lochia, nec menses habuit, quamvis congrua buicce scopo remedia adhiberentur, mentionem facit. Deventero casum refert mulieris, quae tantum graviditatis tempore a mensibus salutabatur. Baudeloque quamplurimos hujusmodi enarrat casus, qui feminis relationibus innixi minoris sunt auctoritatis.

Variat aetas primae mensium adparitionis; apud nos juxta Osiander anno XIV, XV, XVI incipit; in regionibus calidioribus citius, ita ut puellae annorum novem plenam attingant evolutionem; contra in regionibus septentrionalibus tardius, et tantum annorum viginti, vel duorum supra viginti menstruis visitantur. Haec temporis periodus a temperamento, a vitae genere etc. modificatur; ita ex. gr. in urbibus puellae cultae, quae vitam desidem ducunt, quae cibis nutrientibus vescuntur, si temperamento gaudeant sanguineo, vel sanguineo-nervoso sic dicto, citius physiologicam subeunt excretionem illis, quae sub diversis rerum adjunctis vitam trabunt; quocirca priores anno XI, vel XII, alterae XVIII, vel XIX pubertatis offerunt signum. Haller casum enarrat puellae, quae ante octavum an-

(1) Frank, Compendio della maniera di curare le malattie umane, Vol. XI. pag. 14.

num menstruis visitabatur, quae semper regulari recurrebant periodo.

Symptomata, quae primam denotat mensium adparitionem, ad sequentia reducuntur: Mammae jam evolutae turgent, ponderis atque tensionis ad hypogastrium, nec non ignotus ad genitalia sensus viriumque delassatio a puella percipitur, sed brevi humor mucosus e vagina fluit, qui ad plures protenditur dies; dein in sanguineum mutatur, sicque phaenomena disparent morbosa. Excretio haec cruenta plus minusve abundans post triduum, vel quatriduum cessat, iterum plerumque adparitura, donec post nonnullos irregulares insultus determinatis redeat periodis, quae circumstantiis secundis usque ad annos climactericos protrahuntur.

Praeter physicam evolutionem phychica etiam uno eodemque tempore in puellis animadvertitur, et reapse minus evadunt fidentes, magis cogitant, facile erubescunt, et frequenter suspiria edunt. Attamen phaenomena ista eadem in omnibus non observantur ratione, quin imo saepius deficiunt, vel difficillime observantur; apud nonnullas pertinaci cephalalgia, musculorum colli tensione, alicujus exanthesEos eruptione se se manifestant, ex quibus conditio illa pathologica, quae dysmenorrhoeae nomine venit, exsurgit. Aliae mense supervenienté pulsus aberrationem offerunt, qui magis evolutus et plenior, saepius inaequalis, atque interdum duplex tangitur; pleraeque autem nullis vexantur molestiis, et critica evacuatio absque ulla pulsuum irregularitate se prodit.

Singula periodus in eodem individuo aequali temporis circuitu persolvitur, in variis diversa;

plerumque quatuor vel quinque dierum, quae tamen a tertio ad octavum variat; varique dantur casus, in quibus hujusmodi exasperentur limites. Sanguinis excreti quantitas est fere eadem apud omnes, sed pro diversis rerum adjunctis variare potest; unde Aristoteles omnem tertiam menstruationem alias excedere statuit. Hippocrates et Galenus istam quantitatem decem et octo unciarum dijudicant, Haller sex ad duodecim, Baudelocque quatuor ad quinque, cujus sententiae De Haën omnesque recentiores physiologi sunt, qui imo adjiciunt catamenia, quoties-cumque majori in copia fluant, pathologicam uteri conditionem denotare.

Clima magnum exserit in tali functione influxum, quod supra exemplis demonstravimus, cum de primae apparitionis aepocha verba fecimus. Variat sanguinis excretio in dies, generatim prima die pauca, duobus sequentibus copiosior, postremis imminuitur, praeterea humor mucoso-aerosus conspicitur, qui mense ad finem vergente redit, et cruentum fluxum praecedit.

Medicorum opiniones circa sanguinis catamenialis naturam valde dissentiunt. Hippocrates sanguini animalis recenter mactati similem, citiusque ad coagulum pronum existimabat. Veneficam ei tribuit naturam vulgus insciens, cum quo Plinius ipse, nec non ejusdem aetatis medici consentiunt, ut ex eorum scriptis luculenter patet. Neoterici nonnulli in Hippocratis sententiam conveniunt, viscidumque sanguinem menstruum existimant, cujus juxta Haller proprietas a muci praevalentia repetenda. Neque defuerunt, qui revera eumdem, fibrinae expertem ostendere conabantur, cujus asserti falla-

ciam concretiones, quae in vaginae atque uteri cavitatibus reperiuntur apud mulieres organico vitio adfectas, clarissime patefaciunt, quae concretiones materiei filamentosae chemicis subjectae tentaminibus idoneam ejusdem principii copiam dedere. Quotiescumque incipit menstruatio, periodicus ipsius cyclus usque ad annos quadraginta, vel quinquaginta circiter extenditur; neque credendum hunc limitem semper eumdem esse, cum plures causae eum possint perturbare, pathologicis exceptis; quare cum Richerand et Magendie concludendum mensium finem ratione procedere directa eorum primae adparitionis, etsi haec regula generalis interdum de norma deflectat.

Principium itidem ac menstruationis finis varia praebent symptomata, saepius illius copia de mense imminuitur, nec non temporis periodus; alias contrarium evenit, adeo ut tributo mensili vix ad finem peracto aliud subsequatur; accidere tandem potest harum conditionum eodem in individuo alternatio, donec omnino catamenia desistant. Cruenta excretione completa, humor mucosus plerumque succedit, qui plus minusve juxta peculiarem individui naturam perdurat. Hoc tempore feminae pleraeque artuum delassationem, dolores ad lumbos, accessiones ad faciem aliaque incommoda adcusant; in aliis morbi prius latentes, vel minus evoluti suum attingunt acmen, ex quo auctores aetatem nuncuperunt criticam. Sed quoties mulier criticam devicit periodum, sensim sensimque convalescit, sanguis qui prius ad uterum deferebatur, aliis in organis aequabiliter diffunditur, sicque a malis, quae aliter evitare non potuisset, liberatur.

4.9.

Menstruorum mechanismus et causae.

Ab interna uteri superficie saugnis excernitur catamenialis, quod ex mulierum sectione, quae sub mensili periere tributo, facillime comprobatur, in quibus matrix parte dimidia secta sanguine repleta iuventa fuit, atque pressa sanguinem, minimis ex surculis, numero atque diametro majoribus redditis, effundebat. Sed priusquam diligentiores physiologi talia in lucem edidissent experimenta, valde de physiologicae excretionis sede disquirebatur.

Nonnulli minus recentes sanguinem e vagina emanare docebant, observatione innixi, quod interdum graviditatis tempore menstrua occurrebant, dum tali juxta ipsos epocha uteri orificium clausum reperiendum foret, cujus senteutiae Pineau, Bohn aliique sunt. Sed si perpendatur hocce in statu fere nunquam uteri orificium perfecte clausum inveniri, illorum opinionis fallacia unumquemque non latet. Diebus fluxum menstruum praecedentibus insigniter uteri turgor augetur, quod partim ex necroscopicis observationibus, partim ex phaenomenis physiologicis educitur; et re quidem vera pars ejusdem inferior tumidior fit, contrahitur orificium, labia calidiora humore madefiunt sanguineo, quae omnia in uteri systemate stasim plus minusve perfectam clarius ostendunt. In mulieribus quae vitam ducunt laboriosam, congestionis indicia majoris sunt momenti; in illis contra quae aliis sub conditionibus vivunt, symptomatibus haemorrhagiae similibus se prodit, scilicet horripilatione, frigore universali, entis pallore, artuum stupore levique insulta febrili. Its pulsuum mutatio,

da quibus supra disseruimus, nec non modificationes conspicuae, quae congestionem sequuntur majorem, explicantur, ex quo stasis supradictae activus character elucescit. Nunc Haller sententia praetermissa, sanguinem menstruum ab arteriis uteri majoribus proficisci, cum Meibom atque Richerand ex minimis surculis arteriosis, quos necroscopica tantamina sanguine repletos ostendere, illum effundi concludendum.

Ratio autem, qua in mulieribus, determinata vitae periodo, physiologica incipiat excretio, atque altera supprimatur cyclum regularem persolvens, adhuc tenebris obvoluta. Hypotheses quae hucusque hoc de argumento prolatae fuere ad rem extra dubitationis aleam ponendam, impares evadunt. Neque facile, cur menstruatio de mensa recurrat, statui potest, tantum triginta dierum decursu semel manifestari asserendum, quia sanguinis quantitas, quae sex, vel septem diebus excernitur, viginti tria, vel quatuor supra viginti, ut se renovet, nycthemera requirit; quod si adparitionis quantitas exigua, vel si illius recursus promptior, subsequa citius adparitura. Aristoteles menses phasibus lunae respondere docuit, et Van-Helmont quidem hujus astri cognovit influxum. Roussel corporum caelestium propius actionem in menstrua exserera, ut in fluxum atque maris refluxum, defendit. Sed quaecumque illorum sit causa, ipsa interdum turbata periodum sequi regularem ope morbificae conditionis extra dubium versatur, et reapse periodicae epistaxes, haemorrhoides atque haematuriae Stahl (1) nil aliud quam mensium turbatorum vicariae rationandae excretiones.

(1) Dissertatio de mensium insolitis viis.

434

Menstruationis in salutem atque morborum decursum influxus, horumque in illam.

Pubertatis epocha, et prima mensium adparitione nonnulla silent mala, quae mortis germen in puellis non adhuc bene firmis obtegebant. Haec salutifara revolutio plethorae sanguineae effectus, quae omnes taxtus, organa, atque organismi systemata, praecipue vasculare, irritat; sed nt ipsa prosit, ne certos excedat limites est necesse; aliter a physiologico fluxu plures difficultatas devinceodae, quibus non ablatis, omnes producerent morbos, qui sub dysmenorrhoeae nomine veniunt. Plerumque autem res ita normalitar fluit, ut omne pharmacon inutile, et congruum solummodo diaeteticum regimen sufficiat ad salutares naturae beneficae conatus fovendos.

Regularis, juxta Roussel, menstruatio bonam designat valetudinem, et reapse hac infirmata illa qnoque patitur, et vice versa hujus excretionis morbosae conditio a molestiis toti organismo infensis comitatur. Hoc ex morbis acutioris decursus luculenter patet, in quibus, mensibus deficientibus proximis, symptomata morbosa invalescunt; et contra, etsi morbus acmen attigisset, supervenientibus menstruis, symptomata urgentia imminuuntur, brevique ad convalescentiam vergit. Morbi chronici, qui extra systema uterinum sedem figunt, catamenia supprimere nequeunt, nisi ad stadium pervenerint altius, vel circumstantiis minus faventibus quantitatem imminuunt, cursum regularem perturbant, et denique in fluxus menstrui natura malam exserunt actionem.

Aetas critica a quamplurimis sicuti laetalis habetur; sed recentiores negant, et mortalitatis calculus ab ipsis institutus eorum affirmat assertum. Aliunde plures lenti decursus morbi, qui variis sub formis hac aetate manifestantur, nil aliud quam cessationis physiologici fluxus effectus sunt habendi, et de hoc chronicae metritas, hysteriae, melancholiae, quibus afficitur, fidem faciunt. Adsunt praeterea quaedam morbosae dispositiones, et quidam morbi, qui pubertatis tempore imminebant, vel jam evoluti, primaque mensium adparitione omnino evanuere, sed postea aetate climacterica supergrediente novitus in scenam prodiere, uti essent nonnullae phthiseos species, nec non aliquae exanthematicae affectiones; ita de illo carcinomatis uteri recondito processu dicendum, cujus rudimenta probabiliter usque a prima vigebant menstruatione, atque in posterum, eorum evolutione retenta per illius influxum, tandem aetate, de qua agitur, malam explicarunt indolem. Ex his omnibus jure meritoque concludendum, quod etsi aetate critica morborum numerus non sit redundans, tamen permultae adsunt pathologicae conditiones, quibus adflictetur. Quare ut medicus idoneam therapiae methodum atque diaeteticam moneat, quae aptior quantum simplicior, erit necesse.

Menstruationis alienationes.

» Menstruatio potest aboleri, imminui, retineri,
» tandem depravari; haec sunt verba ab Astruc
» prolata (1).

Abolitio atque mensium *imminutio* sub ame-

(1) De morbis mulierum., T. I. 1763. Venetiis.

norrhoeae titulo veniunt (1), quae, ut quicumque alius habitualis fluxus suppressus, plurium morborum causam constituit efficientem.

Causa amenorrhoeae proxima, sicuti morborum, plerumque ignoratur; nam ut recte dignoscatur mensium mechanismus, vires organorum vitales huicce functioni dicatorum, mechanismi sedem, et tandem aetiologiae momentorum agendi rationem penitus cognoscere oportet. Attamen ad fluxum menstruum provocandum, uti jam diximus, uteri congestio characteris activi requiritur, nec non illius vasorum peculiaris dispositio ad sanguinem emittendum, qua de harum conditionum alterutra deficiente, vel ambabus, relativa suppressio sequeretur. Talem uteri mutationem, ejusve vasorum a spasmo, a relaxatione, a stimulo, et quidem adaucto vel imminuto pendere asserere, verba ad causam proximam ostendendam inepta mihi videntur.

Causae disponentes vel a generali individui constitutione, vel ab utero, vel tandem ab educatione vitaeque genere oriuntur. Ad priores temperamentum lymphatico-nervosum, ad alteras organorum genitalium aucta vel imminuta sensibilitas, ad postremas victus tenuis, potuum acidorum abusus, vita sedentaria, somnus immodicus, habitatio humida, labores ingentes, veneris abusus pertinent, quibus morbi praegressi, praecedens sanguinis amissio, animi pathemata deprimentia adjungi possunt; neque impossibile, quod circumstantiae omnino oppositae eumdem pariant effactum.

Occasionales plures recensentur, uti subita-

(1) Frank, Opera citata pag. 12.

neum frigus, venae sectionis abusus, vulnera in signi sanguinis jactura, cujusdam visceris phlogosis, neque harum causarum complexus requiritur, sed una ad morbum gignendum sufficit. Symptomata amenorrhoeam indicantia ad sequentia redigi possunt, nempe doloris atque caloris sensus ad regionem hypogastricam et lumbalem, ponderis sensatio in pelvis cavo, uteri dolores, abdomen tumidum, mammae turgidae humorem lymphaticum plorantes. Quod si suppressio prima catameniorum adparitionis die evenit apud mulieres plethoricas, atque prius menstruatione largiori gaudentes, talia phaenomena magis erunt momentosa, et praecipue si repente menstruatio intercipiatur. Haec uteri pathologica conditio varios potest gignere morbos, uti febres, phlegmasias, haemorrhagias periodicas menstruis fungentes, neuroses, et tandem systematis lymphatici passiones; quod si diu protrahitur, lenti decursus affectiones, uti chloroses, leucorrhoeam, et denique scirrhum atque uteri cancrum producit.

Prognosis. Causarum disponentium atque occasionalium perscitatione, symptomatum natura morbique duratione innititur; quapropter si a causis occasionalibus originem repetit, decursum acutiorem, quam si a disponentibus provocaretur, absolvit, quo in casu artis auxilia minus valent.

Therapia. In prophylacticam et sanatoriam, priori praestans dispositio, quantum fieri licet, amovenda, omniaque quae majori morbi favent evolutioni, quo congruum diaeteticum regimen, nec non martialium recta administratio tendit. Altera causas, temperamentum, symptomata,

A 28

durationem respicit, qua de re in amenorrhoea a frigoris actione producta potus diaphoresim promoventes aliaque auxilia transpirationem adjuvantia erunt in usum vocanda; in illa quae a fortioribus animi pathematibus pendet, spiritus recreatio et pharmaca, quae auctum orgasmum vasculare infringere valent; cum tandem morbus naturae phlogisticae symptomatibus exsurgit, methodus deprimens phlogosis gradui accommodata erit adhibenda (1).

Altera catameniorum alienatio est *retentio*, quae semper a vitio organico tam organorum genitalium externorum, quam uteri oritur. In primis hymenis, labiorum, nympharum et vaginae *atresia* recensetur: hoc vitium in *mediatum*, vel *immediatum*, *congenitum*, vel *acquisitum* distingui potest; omnes istae atresiae species mechanicum impedimentum fluido opponunt excreto, et si ars idoneum non ferat auxilium, atque physiologica pergat excretio, mulieris salus magno versatur in periculo, ipsiusque conditio graviditatem interdum aemulari potest (2). Hoc manus praestat chirurgica, quae certe periclitantem valetudinem individuo restituet, nisi mechanica retentio conceptionis laeserit viscus; haec autem operatio neque difficilis, si atresiae immediatae vaginae casum excipiamus, quo maximi momenti organa possunt laedi, uti vesica urinaria, intestinus rectus. In retentionis causa uteri atresia censetur, quae alias primitiva, alias phlogoseos praegressae exitus; hoc vitium symptomatibus comitatur periculosis, atque conceptioni opponitur; quod si membrana

(1) Frank, Opera citata pag. 73.
(2) Frank, Opera citata pag. 31.

uterum claudens parvis gaudeat foraminibus, incompleta locum habebit menstruatio; quamobrem chirurgus mechanico convictus impedimento sanguinem collectum puncturae ope debet evacuare.

Tertia mensium alienatio est illorum *intensio*, seu *menorrhagia*.

Causae. Illae recensentur omnibus haemorrhagiis communes; inter disponentes autem aetatem invenimus (patet enim quod minus pubertatis tempore, magis autem illo annis climactericis proximo frequentes esse menorrhagiae casus (1)) venerem immodicam, onanismum, organorum genitalium sensibilitatem adauctam, partus frequentes, potuum spirituosorum, nec non purgantium drasticorum abusum.

Diagnosis. Ex observatione majoris sanguinis egressi copiae profluit, sed causarum determinatio, quae profluvium sustinent, nec non effectus in organismum ex praecedenti amissione inducti majorem exposcunt attentionem.

Prognosis. Duabus nunc expositis conditionibus innititur, quibus status morbosi duratio adjungenda.

Therapia. Obtinetur primo causas, quae eam produxere, amovendo; secundo contra morbum agendo; tertio regressum impediendo. Modus autem, quo causae adhuc vigentes sunt abigendae, ex illorum dependet varietate; unde, ex. gr., si haemorrhagia a plethora generali causam repeteret, quod febris intensa pulsibus vibratis atque duris ostenderet, venae sectio ad brachium, corporis animique quies, positio horizontalis, po-

(1) Frank, Opera citata. Vol. VI. pag. 286.

tus refrigerantes, diaeta restricta, alvus clysmatum ope, vel levium eccoproticorum libera plurimum praestabunt (1).

Quod si pharmaca ista ad eam compescendam inepta evaderent, sanguinem ex utero derivare, qui majori effluens copia eamdem gignit, perutila erit. Quare Hippocrates cucurbitas ad mammas adplicare jussit (2); Galenus hanc rejecit methodum ob acutissimos dolores, quibus aegra afficiebatur, easque spatio a mammis relicto admovit; alii tandem ad dorsum adplicuerunt; sed si perpendatur, hanc methodum postremam individuis debilibus spiritum ducentibus organis gaudentibus, vel habitualibus congestionibus, haemoptysi similibusque pathologicis adfectionibus obnoxiis damnum inferre, in quibusdam solummodo casibus erit admittenda.

Experientia compertum habemus, opium hisce sub circumstantiis optime praestare; ipsemet P. Frank ex illius cum ipecacuanha mixtione salutares obtinuit effectus (3); praeterea acida mineralia diluta, externe autem balnea frigida tum topica, tum universalia magno cum emolumento in auxilium erunt vocanda. Horum autem remediorum selectes sit rationalis, atque gradui et menorrhagiae indoli conveniens, taliquo pacto periculosum coercendi profluvium spes affulgebit, aegraeque pristina restituetur salus.

Quarta postremaque mensium alienatio *dysmenorrhoeae* titulo agnoscitur, *menstruorum difficilium* ab aliis, *hysteralgiae catamenialis* a Souwagesio, atque in hoc consistit, quod mulier

(1) Frank, Opera citata pag. 315.
(2) Aphor. 50. Sect. V.
(3) Frank, Opera citata pag. 320.

menstruis incipientibus acutis adfficietur uteri doloribus, vel aliis majoris, vel minoris momenti symptomatibus, quae sub prima ejusdem adparitione manifestantur, totaque mensium duratione perstant, vel omni mensili redeunt periodo.

Causa hujus morbi proxima adhuc sub tenebris latet, etsi interdum detegi possit; ita celeberrimus Morgagni illam ex innata matricis parvitate, alias ex indole illius scirrhosa, alias ex chronica inflammatione pendentem clarius agnovit. Neque majores aetiologia hac de re jactare potest progressus, et solummodo incongruum diaeteticum regimen, vitam sedentariam, aerem humidum atque paludosum, debilitatem a morbis praegressis relictam pluries hunc generasse morbum asserere licet.

Symptomata quae ad dysmenorrhoeam referuntur, sunt sequentia, nempe debilitas ad extremitates, horripilationes, dolores ad lumbos et ad hypogastrium, cephalaea, vertigines, epistaxis, respiratio profunda impedita, haemoptoe, tussis, colica, cardialgia, nausea, vomitus, deliquium, hysteriasis. Symptoma frequentius sistit sic dicta *colica catamenialis*, qua menstruatio parva copia, saepiusque guttatim efficitur.

Diagnosis. Ex symptomatum nunc dictorum concursu desumitur, quando autem mensilis tributi epocha recurrant, morbus per se est periculi expers, sed per totam mensium periodum extendi potest, cuilibet curae methodo reluctans.

Prognosis. Ex causis, ex symptomatum pondere, ex morbi duratione pendet.

Therapia. Duplici indicationi erit satisfaciendum, nempe primum phaenomena urgentia idoneis infringere medicaminibus, causasque, ubi

essent, abripere; secundo magis atque magis attendendum, ut fluxus menstruus regulariter fiat. Methodum priorem explentem indicationem certe statuere nequirem, nisi omnes nosographiae ac therapiae ad hanc materiem spectantis articulos verbis exprimerem, symptomata enim hujusmodi morbosam adfectionem concomitantia tot variaque sunt, quae breviter exponi nequeunt, et solummodo medico in privata praxi diligentiores utilioresque instituere observationes conceditur, neque longius morabor methodum alteram persolventem indicationem proponendo, cum de hacce de amenorrhoea disserens verba fecissem.

THESES DEFENDENDAE

1. In febribus, sic dictis nervosis, ac organisatio vel innervatio prius laedatur, adhuc dijudicandum.

2. Epilepsia non est morbus intermittens, sed continuus.

3. Medendi simplicitas et aegro et medico prodest.

4. Graviores causae tum et quando mitia, mites tum et quando graviora inferunt mala.

5. Viscerum abdominalium morbi hypochondriasim gignunt.

6. Hysterismus, hypochondriasis, nec non aliae obscurae nervorum passiones minime pro dynamicis tantum adfectionibus sunt retinendae, verumtamen materialibus.

7. In pulmonum morbis hepar aliquatenus functiones resarcit.

8. Inflammatio semper eadem, juxta varias autem textus, quos afficit, modificata.

9. Medicorum dissensiones parum in scientia juvaminis inducunt, et fama illorum multoties foedatur.

10. Stethoscopia a medico non experto instituta saepissime aerumnosa.

11. Morbi a pathematibus producti difficillimae curationis.

12. Inter amauroseos species, illa quae a passiva sanguinis congestione dependet, fere semper insanabilis.

99335